AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 172v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Condelector legi dei secundum interiorem hominem. Delectat me lex, delectat me quod iubet lex, delectat me ipsa iusticia. Video autem aliam legem in membris meis. Hec est que remansit infirmitas, repugnantem legi mentis mee et captiuantem me in lege peccati, que est in membris meis.
Ex hac parte sentit captiuitatem, ubi non est impleta iusticia. Nam ubi condelectatur legi dei non captiuus sed legis amicus est, et ideo liber, quod amicus.
Quid ergo ex eo quod restat, quid nisi respiciamus ad illum qui dixit: si uos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Denique et ipse qui loquebatur respexit ad illum. Infelix ego homo, quis me inquit liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per ihesum xpm dominum nostrum. Ergo si uos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Denique ita conclusit. Igitur ipse ego mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. Ipse ego inquit. Non enim duo sumus inter nos contrarii, de diuersis principiis uenientes, sed ipse ego mente seruio legi dei, carne autem legi peccati, quamdiu languor obluctatur saluti. Sed si carne seruis legi peccati, fac quod ait ipse apostolus. Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius, neque exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato. Non ait non sit, sed non regnet. Quamdiu peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non fiet quod iubet. Surgit ira, noli dare ire linguam ad maledicendum, noli dare ire manum aut pedem ad feriendum. Non surgeret ira ista irrationabilis, nisi peccatum esset in membris. Sed tolle illi regnum, non habeat arma unde contra te pugnet. Discit etiam non surgere, cum arma non ceperit inuenire. Non exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato, alioquin toti captiui eritis, et non erit dicere mente seruio legi dei.
Mens enim si teneat arma, membra non mouentur in ministerium furentis peccati. Teneat arcem imperator interior, quia sub maiore imperatore iuuandus assistit. Frenet iram, coerceat concupiscentiam, inest tamen quod frenetur, inest quod coerceatur, inest quod teneatur. Quid autem uolebat ille iustus mente seruiens legi dei, nisi ut omnino non esset quod frenaretur. Et hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, ut et ipsa concupiscentia cui non dantur ad obediendum membra cottidie in proficiente minuatur. Uelle inquit adiacet mihi, perficere autem bonum non. Numquid dixit non mihi adiacet facere bonum? Si hoc dixisset, nulla spes esset. Nam ait non mihi adiacet facere, sed non mihi